



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 35. Onuphrii Panvinii extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. Roma perutile sibi Scoti consilium, ac
 A. C. 1568. prudentiam nollet. Contigit hæc Cardinalis abdicatio Julio mense, anni millesimi quingentesimi sexagesimi octavo, quo etiam anno die Sabbati, secunda Decembris Romæ humanitatem exiit, ejusque obitum profecutus est lacrimis Pius Pontifex: porro defuncti Cadaver sepultum est in Ecclesia Divi Pauli extra urbem inscriptione, sed admodum humili decoratus. Vulgo is dicebatur Scotus Cardinalis Tranensis, ac summo studio Breviarium, & Missale Romanum ad pristinum morem, & institutum, uti nunc cernimus, revocavit, adjectus opera Foscarii Mutinensis Episcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum, aliorumque, qui a Pio IV. & Pio V. ad id munus selecti fuerant.

§. XXXV.

Onuphrii Panvini extrema.

*Thuan. l. 43.
 Possev. ap-
 par. Sacr.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno mortis violentia sublatos numerandus venit Onuphrius Panvinius Veronensis Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini alumnus, qui Romanarum antiquitatum cognitione apprime eruditus indefessum in literis laborem impenderat, atque ex consilio Cervini Cardinalis fautoris sui, qui postea sub Marcelli II. nomine in Pontificem fuit

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

fuit electus in dilucidandis antiquitati-
bus Ecclesiasticis operam suam navabat,
atque pro primo laboris sui fructu edi-
dit summorum Pontificum, & Cardi-
nalianum chronicon, quod ipso inscio circa
annum Salvatoris nostri millesimum
quingentesimum quinquagesimum septi-
mum Jacobus Strada Mantuanus ejus
amicus typis edi curabat, paucis vero
post annis ipsemet Onuphrius illud longe
correctius iterato prælo subjecit, ac Pio
V. summo Pontifici Anno post Christum
natum millesimo quingentesimo sexage-
simo sexto nuncupavit: insuper idem
Pontificum vitas a Platina inchoatas a
Sixto IV. usque ad Pium V. prosequen-
tibus, nec minus scribebat Chroni-
con Ecclesiasticum, aliumque tractatum
de Primatu Divi Petri: præterea vole-
bat integram Ecclesiæ Historiam, &
generales Pontificum, ac Cardinalium
annales edere; ast Farnesium Cardi-
nalem Panormum in Siciliam comitari
rogatus ibidem hoc anno Christi mil-
lesimo quingentesimo sexagesimo octavo
mortuus est, non nisi annos triginta no-
vem natus: porro Corpus ejus Romam
translatum in Ordinis sui Ecclesia ad
Divum Augustinum sepultum est. Po-
steris pariter reliquit tractatum de ve-
teris ritu Baptizandi Cathecumenos, nec-
non de origine Baptizandi imagines:

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. U Ad

Sæcul. XVI. Ad hæc exstant etiam ista ingenii ejus
A.C. 1568. monumenta I. libellus de Fastis, &
 Romanorum triumphis II. Tractatus de
 Sibillis. III. Commentarius de Repub-
 lica Romana. IV. Alius de triumphis
 V. Item alius de Fastis Consularibus
 VI. Quatuor libri de Imperio Romano
 Græco, & Latino. VII. Opus de an-
 tiquis Christianorum ritibus sepeliendi
 mortuos, & de eorum cæmeteriis
 VIII. Tractatus de præcipuis Urbis Ro-
 manæ Basilicis, quæ vocantur septem
 Ecclesiæ. IX. Alius de consecratione
 panis cerei, qui vocatur *Agnus Dei*, at-
 que a quolibet Papa in primo Pontifi-
 catus sui anno Dominica *Quasimodo* sa-
 crari, & singulis septem annis renovari so-
 let. Edidit adhuc plures alios tractatus.

§. XXXVI.

Erasmi Argentinenfis Episcopi obitus.

Thaan l. c.
Sanmarth.
Gall Christ.
Guiliman
de Episc.
Argent.

Hoc item anno obiit Erasmus Argen-
 tinenfis Episcopus ex Comitum
 Limpurgensium familia natus; porro
 Limburgum est in Germania Circuli
 Westphalici Toparchia, quæ ferme tota
 in Sueviam procurrit. Hic erat Præ-
 sul pietate, ac eruditione sua plurimum
 commendandus, potissima vero laude
 celebrandus ob ingenii sui aciem, ac
 ingentem in literis proficiendi avidita-
 tem, nam adhuc juvenis Tubingæ die
 discipli-